



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm**

**Barry, Paul de**

**Monachii, 1650**

Cap. VIII. De Pietate erga S. Iosephvm, quæ exerceri per eius Octauam  
potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

## CAPVT VIII.

*De Pietate erga S. IOSEPHVM, que  
exerceri per eius Octauam  
potest.*

**N**on existimo maiori fructu sanctiusque octiduum S. IOSEPHO sacrum posse à quocquam impendi, quàm si secum illius vitam, obitum & gloriam in caelo expendat: talibus enim cogitationibus noster in illum amor amplius inflammabitur, nosque ad maximarum eius virtutum imitationem acrius exstimulabimur. Quin vbique, etiam cum otium, aut animus deerit, hisce meditationibus vacandi, poterunt pro sacrâ lectione seruire: vt in singulos dies habeas, quod vel mediteris, vel legas, eo quidem compendio; vt omnia sis hâc reperiturus, quaecunque SS. Litteræ, SS. Patres, & præcipui quique scriptores, qui de S. IOSEPHI laudibus scripserunt, circa eius vitam, mortem & gloriam  
Diui

Diui nobis tradiderunt, Nihil cetera  
superest, nisi vt rem ordine aggredia-  
mur, & in octo capita diuidamus,  
quod tractandum suscepimus,

---

**OCTO MEDITATIO-**  
NES DE VITA, MORTE, ET  
gloriâ S. IOSEPHI pro festo  
eius octiduo.

**MEDITATIO I.**

Pro primo die Octauæ S. IOSEPHI.

*De illustribus eius natalibus, de admira-  
bili sanctificatione, & memorabili  
venustate nominis S. IO-  
SEPHI.*

**O**RATIONIS preparatoriae loco  
poterimus feruenti quodam pre-  
catione erga diuinam Maiestatem vt,  
vt dignetur intellectum ad penetran-  
da S IOSEPHI vitæ miracula illustrare,  
in eo præsertim themate, quod modo  
pro meditatione selegimus; nostras-  
que voluntates ad suum imprimis,

dein' S. IOSEPHI obsequium accende-  
re, cuius eximias dotes ei diuinitus  
concessas considerare aggredimur.

Præludium I. Repræsenta tibi è  
gemmis vnam, quæ gemma prodigio-  
sa, aut Granata vocatur, quod magnam  
cum Punico malo affinitatem habeat.  
Hæc gemma plurium gemmarum,  
Adamantis, Carbunculi, Smaragdi &  
aliarum quædam congeries est. Porrò  
admirandâ pulchritudine nitet; & in-  
tra terræ viscera delitescit, in quâ na-  
scitur, natiuâ elegantia & nitore præ-  
dita, antequam publico se credat:  
nominis etiam gratiâ superbit; solet  
enim gemma sexaginta pulchritudi-  
num vocari. *a* Hanc imaginem tibi si-  
ste, inueniesque, aptè in S. IOSE-  
PHVM quadrare; quandoquidem  
maiorum suorum perfectiones omnes,  
& sanctitatem ex vtero materno, tam-  
que venusti nominis gratiam est con-  
secutus.

Præ-

*a* *Ex hist. India Occid. in Prouinc. Pa-  
raquay.*

Præludium II. Gratiam à Deo postulata, adorandam eius prouidentiam perscrutandi, quâ in S. IOSEPHO Ecclesie suæ indulgendo usus est.

Punctum I. S. IOSEPHVS natus est in oppido Nazareth ( quæ vox florentem, aut sanctificatum sonat ) Galilææ ditionis, quæ vna est e Prouincijs Palæstinæ. Pater illi fuit Iacob rectè à Salomone Dauidis filio genus duccens; quemadmodum B. Virgo rectè ad Nathan originem refert, qui Dauidis item ac Bersabee filius, & ideo Salomonis frater natus minor fuit.

Hic considera I. Insignem & nobilem S. IOSEPHI originem; ut qui sit e regio Dauidis sanguine prognatus, tot Regum ac Summorum Pontificum, tantique generis, qua digniorem profapiam orbis non vidit, nepos: quod sanè decens erat, quando pro Sponso Cæli Terrarumque Reginae fuit destinatus. II. Præclarum Dei omnia prouidentis fuisse consilium, ac caelestis Senatûs arcanum, quòd IOSEPHVS etsi regio

regio stemmate oriundus, ad quem ius Regni pertinebat, pauperum nihilominus è grege fuit. An fortassis inter alias causas etiam idcirco factum id est, ut disceremus, pauperes magis idoneos esse, ut inter celi Magnates accenseantur, quàm diuitiarum & dignitatum huius vitæ sectatores? III. Eos saepe esse Proceres, Principes, & Reges, qui minimè omnium merentur; & vicissim eos esse pauperes, abiectos, & contemptos, qui maximorum honorum sunt dignissimi. O S. IOSEPH! vas electionis! in quem à tot sæculis oculos Deus coniecit! parùm mea refert, illustri me genere ortum; ac proin ipsa etiam Regna despicio: non est mihi animus, in terris emergere, cui ius ad cælum & Superam coronam restat: illuc omnis ambitio mea fertur. Ad finem hunc meum tuis precibus pertingam, vitamque hoc desiderio plenius absolvam, ut parvus in terris, in cælo mereat magnus esse.

II. Punctum. S. Iosephus, ut Gerson ait,

ait, fuit in utero suæ matris sanctifica-  
tus. I. Ita enim erat conueniens, hac  
illum gratiâ donari; quando Ieremias,  
qui Propheta duntaxat erat, S. Ioannes  
Baptista, qui Præcursoris tantum par-  
tes sustinebat, S. Paulus, qui non nisi  
IESV CHRISTI Apostolus fuit, ante or-  
tum suum sunt diuinæ gratiæ restituri,  
vt plures arbitrantur: quis igitur pru-  
denter hanc immunitatem illi denega-  
re ausit, qui plus quàm Propheta, plus  
quàm Præcursor, & plus quàm Apo-  
stolus censi debet. Vtique patrifam-  
ilias idem honoris genus, quod ser-  
uis exhibetur: si eos itaque necesse  
fuit sanctitate donari, sint sanè tales,  
vt pote tam insignes IESV CHRISTI mi-  
nistri; ergone decuit illum præteriri,  
qui Patris locum obtinet? II. Quan-  
to cuius maiora muria in Dei domo  
committuntur, tanto maiori sanctitate  
illi est opus, eaque tantò est maturiùs  
instruendus; quemadmodum Dei Ma-  
ter eam primo Conceptionis suæ mo-  
mento recepit. III. Digna profectò  
Virgo

Virgo

Virgo mater tali Sponso erat, qui Sanctus Dei que amicus ante ortum suum esset: puduisset ipsum solem, puriorem se quam IOSEPHVM in exortu videri. O IOSEPH! gemma in Dei domo præstantissima, duabus illis tantummodo obscurior, quæ in Nazarenis ædibus tuis coruscant! tu non modò gemma illa es sexaginta pulchritudinum gratiâ insignis, ob maiorum tuorum virtutes, quæ omnes à te possidentur; sed & ille Princeps es, qui admirandâ venustate omnes antecedis, ob eam sanctitatem, quâ fuisti per anticipationem ornatus. Gratulor tibi prodigiosum hoc munus, tibi que cum cælestis aulæ præconibus applaudo.

III. Punctum. Eo die, quo fuit circumcisus, IOSEPHI nomen illi fuit inditum. I. Hoc nomen blandum est & acceptum, neque aliquid agreste, asperum, ingratumque sonat, est que Nomini IESV & MARIÆ comparandum. II. Hoc nomen mysterijs, recondito sensu, bonoque omine plenum est: Io-

SEPH



JOSEPH enim aut incrementum, aut arborem pulchram, aut filium accrescentem prope fontem, aut ramum fructiferum prope oculum significat. III. Patriarcha JOSEPH filius Israël is imago quædam nostri huius JOSEPHI fuit, eumque in pluribus adumbravit; sed hoc nomen illi plus addit. O S. JOSEPH! tanto nomine illustris, quod ego medullitus amo! nemo mihi præclara nomina iactet; tuum cupio pro merito amare, tuum centies in die honoris & amoris causâ pronuntiare gestio, neque toties aliquid in ore volvere, quàm, *Vivat IESVS, MARIA, JOSEPH!*

Colloquium ad Patrem celestem instituetur, gratias ei agendo, quòd S. JOSEPHVM in terris tam celebrem reddiderit: ad Filium, quòd tam digno eum nomine honestarit: ad Spiritum sanctum, quòd eum pro suo templo elegerit, & tam citò consecrarit. *Pater noster, Ave MARIA.*

ME-

## MEDITATIO II.

Pro secundo die Octauæ S. IOSEPHI.

*De vica Conditione ac magnâ sanctitate  
S. IOSEPHI.*

Oratio præparatoria, vt supra.

**P**Ræludium I. Fingo, te officinam fabri lignarij videre, atque illic iuuenem octodecim annorum, qui labori det operam, ligna securi, aut ferrâ secantem; circum multos Angelos versari, qui etsi minimè conspicui eius laboris spectatores adsunt, ob sanctitatem istius opificis admiratione defixi: vt & ob notitiam; quâ didicere, hunc, quem exercere tam vile abiectumque opificium vident, à Deo pro Dei Matre olim Sponso destinatum.

Prælud. II. Gratiam à Deo postula, quâ circa S. IOSEPHI conditionem, eiusque felicitatem, quâ potuit à primis annis sanctè viuere. diuinæ Maiestatis consilia expendas.

I. Punctum, S. IOSEPHVS etsi tam  
nobilis

nobilis profapie, artem fabrilem addi-  
dicit, totaque deinceps vitâ exercuit  
I. Ei artificio se tradidit, vt honestè oc-  
cupatus otium vitaret, integritati vir-  
gineæ, cuius voto se obstrinxit, per-  
quam futurum exitiale: ad hæc se pau-  
perem agnoscens, etsi à Dauidicâ pro-  
genie profectum, Dei prouidentiam  
adorauit, neque erubuit, proprio su-  
dore vitam sustentare. II. Fabrilē  
elegit, quòd esset cæteris laboriosior,  
gauisus, se pro Deo, cuius amore arde-  
bat, multa aspera tolerare. III. Sub-  
missionis studio id opificium per om-  
nem vitam profecutus est, nihil inde  
elatus, quòd Patrem se IESV CHRISTI,  
aut maritum Cælorum Reginae vide-  
ret: accedebat charitatis impulsus, vt  
suo labore Dei Filium & MARIAM Ma-  
trem eius aleret: accessit pietas, quâ li-  
benter ligna tractabat, postquam à Ie-  
su intellexit, in ligno Crucis aliquando  
Redemptionis opus peragendum. O  
S. Ioseph! instar Cherubini ardens, ca-  
lestique

Ex S. Thomâ Aquin.

lestique consilio plene! impetra mihi, ut saluti meæ profutura eligam: non recuso laborem, neque mei abiectio- nem; si inde perfectio & salus mea de- pendet: exora mihi eas omnes virtu- tes, ob quas tanto tui amore me tibi vindicasti.

II. Punctum. Etsi tignarius tantum faber fuerit, sanctissimus nihilominus fuit: eam gloriam S. Scriptura illi tri- buit, quando Iustum appellat. I. Eius ad virtutem propensio ad omnis ge- neris exercendas virtutes eum fere- bat, quæ veram iustitiam constituunt; quâ procliuitate minimè caruit, quan- do prodigiosè primam fuit sanctita- tem consecutus. II. Ipsum eius no- men ad conseruandam sanctimoniam, imo in dies augendam, quâ fuit tam liberaliter à Deo donatus, inuitabat, ut re & nomine semper esset accre- scens. III. Deus illum potentibus subsidijs ad altiorem sanctitatis gra- dum euexit, quàm vllus post I E S V M

&amp;

a Matth. 16.

& MARIAM peruenit: quandoquidem ad id extollere fastigium honoris voluit, vt eum appellatione Patris Filij sui, & conditione Sponsi gloriosæ Virginis decorârit. Sanctitas autem ad tam sublime vtriusque muneris culmen requisita, nostris comprehendi ingenijs nequit; quâ tamen S. IOSEPHVS enituit. O sancte IOSEPH! excellentis sanctitatis Alpha, & Speculum omnium virtutum! te obtestor per summam iustitiam & pulchritudinem animæ tuæ, velis mihi eum sanctitatis gradum obtinere, quâ consequi paratam mihi à Deo gloriam possim; si quidem diuinis eius circa me consilijs obstaculum non ponam.

III. Punctum. Sanctitas eius ad modum allatum eximia fuit: I. Quòd fieri Dei Matris Sponsus debuerit, atque ideo ad Sponsæ suæ sanctitatem, quàm potuit, proximè accedere; alioquin impar inter eos coniugium fuisset.

set.;

set: *Si vis nubere, nube pari.* II. Quòd,  
 vt Gerson ait, fuerit in gratiâ confir-  
 matus; peccati cuiuscunque mortalis  
 expers, quemadmodum S. Augustinus  
 affirmat: nec dubitandum est, quin  
 earum immunitatum operâ fuerit ra-  
 râ quadam sanctimoniâ præditus.  
 II. Quòd concupiscentiæ fomite care-  
 ret, *a* vt in Scholis nominatur; vt ni-  
 hil in sensu aut desiderio obuersari sibi  
 pateretur, quod rationi conforme non  
 esset: potuítne fieri, vt non maximè  
 Sanctus euaderet, præsertim tanto gra-  
 tiæ affluxu à Deo cumulatus, quam li-  
 beralissimè eius menti affundebat, ac  
 S. Spiritu eiusque donis excellenti  
 quadam ratione, non minùs quàm A-  
 postoli, plenus? *b* O S. IOSEPH! do-  
 mûs Dei delictum! qui post Filium &  
 Sponsam tuam, meliorem portionem  
 nactus est! cùm sis sanctitatis cumulo  
 instructus, pauperis mei te misereat,  
 qui, quòd extraordinarijs illis auxilijs

ac

*a* Ex Io. Gersone.

*b* Ex relat. ep. P. Surin.

ac priuilegijs, quæ possides, sim destitutus, in quotidianâ pugna versor, cum immorigeris cupiditatibus ad intestinum bellum prouocatus.

Colloquium in admiratione diuinæ dispositionis versabitur, quæ vilem fabricum ad tantę sanctitatis gradum promouet: eam dein felicitatem S. IOSEPHO gratulaberis, optabisque, vt pro merito ac magnitudine sanctitatis eius vbique agnoscat, & ametur. *Pater noster. Ave MARIA.*

---

MEDITATIO III.

Pro tertio die Octauæ S. IOSEPHI.

*De Virginali Connubio S. IOSEPHI.*

Oratio præparatoria erit ordinaria.

**P**RÆLVDIVM I. S. IOSEPHVM in flore ætatis tibi siste, vultu dignitatis pleno, manu lilium tenentem, quemadmodum pingi consuevit; veluti lilium illud eius Virginalem puritatem,

H

tem,

rem, quam semper illibatam seruauit, innueret; siue ante, siue post coniugium eum representes: aut quasi diceret, se primum omnium uirginitatis vexillum erexisse, sibi que liliū potius, quàm ulli alteri competere.

Præludium II. A Deo lumen pete, quâ caeleste hoc MARIÆ, & IOSEPHI coniugium pro dignitate expendas, eaque documenta inde in tuum usum eruas, in quæ piæ solent mentes incidere.

I. Punctum. Cùm destinatus dies illuxit, qui B. Virgini Sponsus offerretur, ac eum in finem Sacerdotes in templum omnes è tribu Iudâ oriundos Dauidicę stirpis conuocassent, qui iam erant matrimonio habiles. Pontifex Summus Propitiatoriū accessit, Deum eâ super re consulturus: cui responsum est, ut MARIAM ei Sponso traderet, cuius baculus, ipso presente, effloresceret, atq; capiti videretur columba insidere. Quod miraculum ubi intra IOSEPHI manus, supraque illius caput ab

omni-



omnibus fuit deprehensum; illico ad  
eam erat dignitatem sublatus, & cum  
MARIA in manum nouus Sponsus con-  
uenit. Inde IOSEPHVS Sponsæ digito  
annulum inseruit, pro concordia illius  
iudicio, quâ debent sibi mutuò ob-  
stringi: atque vt ritus solennes obser-  
uarent, eam pallij sui parte contexit, vt  
testaretur, eius se deinceps tutorem fo-  
re, eamque in omniû bonorum se com-  
munionem admittere. O quanta in hoc  
cælesti potiùs quàm terrestri connubio  
miracula! vt Rupertus Abbas loqui-  
tur: hîc singula consideranda sunt.  
I. Prodigiû aridi baculi reflorescentis.  
II. Columbæ tunc apparentis. III. Vir-  
ginem omniû puellarum nobilissimâ,  
summisque dotibus instructam opifici  
tradi, qui asciam & securim tractet,  
potiùs, quàm vni ex orbis magnatibus.  
Deus bone! IOSEPHI amator diuine!  
quàm potenter à te destinata exequi-  
ris! ô quàm cogitationes tuæ sunt à no-  
stris diuersæ! nos æstimâssemus, Ma-  
trem tuam in connubiû alicui Principi

dandam; at tu aliter longè sensisti: & quoniam Redemptionis nostræ Mysterium debuit in ligno Crucis compleri, nolebas alteri eam credere, quàm homini, cuius ars in ligno versaretur. Æternùm impera, ô summe ac sapiens artifex! nemo te rectiùs no- nit nostris rebus providere.

II. Punctum. Hoc IOSEPHI cum MARIA connubium erat non sine speis rationibus initum. I. MARIA Paradisus est, & pro Diuinitate deliciarum locus, vnde enasci vitæ arbor, omniumq; gratiarum torrentes erumpere debebant. Vti ergo in Paradiso terrestri Deus Custodē posuit, qui fuit Adam; ita decens erat, in hunc quoque voluptatis hortum destinari, qui simili curâ excubaret; vt & B. Virgo in familiâ adiutorem, & IESVS nutritium patrem haberet, qui eum educaret, & ab ijs machinationibus eriperet, quas Dæmon & homines in eum poterant moliri. II. Vt ita IESV CHRISTI honor defenderetur, qui alioqui creditus fuisset

fuiſſet illegitimo toro natus; ac ſimul  
fama B. Virginis ſeruaretur, teſtemque  
ſuæ virtutis illa IOSEPHVM haberet, qui  
ab Angelis edoctus, operâ Spiritûs  
ſancti eam eſſe grauidam, mortalibus  
æſtatas demum eſt, nihil ſe ad Chriſti  
generationem contuliſſe. III. Quòd  
in pluribus rebus eſſent ſibi perſimi-  
les; etſi enim ætate multùm differrent,  
cùm S. IOSEPHVS annorum quadragin-  
ta circiter, MARIA quatuordecim eſ-  
ſet; eâ tamen vnâ exceptâ de reliquo  
per omnia propè pares erant, in præ-  
maturâ ſanctificatione, quamuis B. V.  
citiùs eam acceperit; in amore ac de-  
creto ſeruandæ virginitatis; in vtriuf-  
que natali ſolo, quod fuit in Nazareth;  
in eadem Dauidis ſtirpe; MARIA dicta  
fuit gratia plena; IOSEPHVS iuſtus; &  
ſi quæ alia iſtam ſimilitudinem effi-  
ciunt. O Sponſe! ô Custos! ô viua ef-  
figies MARIE! Supremus Dominus ti-  
bi ſuam Matrem committit; & infi-  
mus mortalium ſuam tibi animam cre-  
dit: non poſſum meliori tutelæ per-

H 3

mitti 3

mitti ; quidquid mihi eueniat , non  
 alio cupio à Patrono defendi.

III. Punctum. Per beatum & felici-  
 cissimum illud testimonium fuit. I. Per  
 eas virginales nuptias I O S E P H V S ius  
 est nactus , I E S V M C H R I S T V M  
 suum filium appellandi ; quidquid  
 enim ad Sponsam eius spectabat , ad  
 eius etiam dominium pertinuit. O  
 qualis fructus ! ô quàm diuina virgi-  
 nitatis remuneratio ! II. Fœcunditas  
 in eo fuit admirabilis : omnes enim  
 egregij virginitatis sectatores I O S E -  
 P H I sunt filij : Alexius , Elzearius , Iu-  
 lianus , Henricus , & alij omnes ex eo  
 coniugio per tam illustre exemplum  
 prodierunt , quod in S. I O S E P H O vt  
 autographo inspexerunt. O sancta  
 posteritas ! ô mira fœcunditas ! III. In-  
 ter fideles omnium coniugiorum spe-  
 culum fuit : quisquis enim esse fidelis  
 amare tori consortem , vitam exigere  
 tranquillam & concordem postulat ,  
 oculos in I O S E P H I & M A R I Æ ma-  
 trimonium vertat. O S. I O S E P H E !  
 Pater

Pater virgo! coniugatorum omnium  
vultus acue, vt eos in tuas virtutes  
defigant; ijsque, qui nouiter conu-  
bio iunguntur, nonnunquam pios sti-  
mulos adde, quibus ad virginittatis  
studium impellantur, vt vnâ tecum  
olim sequi agnum dato in manus lilio  
possint.

Colloquium per modum cælestis  
Epithalamij erit: lauda tam sanctum  
coniugium, Deumque illius auctorem  
adora; neque omitte, novos coniu-  
ges precari, vt tibi velint opem fer-  
re, & in suâ felicitate tuæ  
miseriæ meminif.

sc.

☞ (o) ☞



## MEDITATIO IV.

Pro quarto die Octauæ S. IOSEPHI

*De itinere S. IOSEPHI S. Virginem comitantis, cum illa S. Elisabetham adiret; ac de anxietate, in qua versabatur, cum B. Virginem gravidam videret.*

Oratio præparatoria erit ordinaria.

**P**RÆLVDIVM I. S. IOSEPHVM  
tibi repræsenta duorum dierum itinere per montes, quâ transeundum erat, B. Virginem comitantem, antequam ad oppidum, vbi S. Elisabeth morabatur, à Nazareth peruenirent,

Præludium II. Gratiam à Deo posce, quâ possis præsentis meditationis argumento comprehensa mysteria penetrare.

I. Punctum. Post quatuor circiter menses post B. Virginem S. IOSEPHO desponsam, & post paucos admodum dies, quàm Gabriel Archangelus, ignorante IOSEPHO, Filij Dei Incarnationem

tionem glorioſe Virgini denuntiauit. a  
S. IOSEPHVS à Nazareth iter ad eum  
locum ſuſcepit, vbi S. Elifabeth verſa-  
batur, vt eſſet B. Virginis comes, Elifa-  
betham cognatam ſuam viſitantis, quæ  
miraculo vterum ferebat: quam B. Vir-  
go ſalutare, gratularique illi tantum  
beneficium voluit, quo Deus illam af-  
fecit, quando non obſtante ſenio &  
ſterilitate ipſi prolem indulſit.

Confidera, cur S. IOSEPHVS hoc iter  
adierit. I. Ne Sponſam ſuam deſere-  
ret; non enim ſuſtinuit committere,  
vt MARIA, quam vnicè diligebat, ſola  
in tam tenerâ ætate iter faceret, præ-  
fertim cùm conficienda quatuorde-  
cim circiter leucarum via eſſet per lo-  
ca aſpera & moleſta eunti. Ah! non  
potuit hoc iter declinare; : MARIAM  
enim adeò amabilem, tamque dulcis  
alloquij fuerat expertus, vt acerbum  
ei futurum fuiſſet, ab eâ vel per horæ  
quadrantem auelli. II. Præter hunc  
amorem, prudentia illi dictabat, vt

H s MA.

a Ex S. Bonauent,

MARIÆ desiderio, ad hoc iter propendens, pro suo in illam amore obsequeretur; cum ipsa, utpote honestis amans, ægrè nec sine dolore sustinisset, illum à se abesse, præsertim cum noua nupta esset. III. Ob easdem causas viam iniit, quibus B. Virgo fuit ad eam inducta; æquè enim iucundum illi erat, Elisabeth cognatæ suæ gratulari, & senem Zachariam videre, testemque tam insignis miraculi fieri. O S. IOSEPH! incomparabili felicitate donate! quæ obsequia tibi & MARIÆ Sponsæ tuæ non præstitissem, si tantus mihi honor obtigisset, ut vobis me illius itineris comitem adiungerem? ô quàm dulcis ac iucunda mihi via fuisset! quantis impendijs ego tam gratam consuetudinem atque confortium non compararem? ah! quando aderit felix illa dies ac cæleste contubernium, vbi vobis ad satietatem perfruar.

II. Punctum. S. IOSEPHVS è domo Zachariæ, in quâ tres circiter menses fuit



fuit commoratus, domum reuersus,  
B. Virginem esse grauidam animad-  
uertit: vnde grauitè commotus, tam  
perplexis curis iactabatur, vt de illâ  
clanculò deferendâ cogitaret. Consi-  
dera I. Deum S. IOSEPHO Incarnatio-  
nis mysterium aliquantò seriùs quam  
S. Zachariæ & S. Elisabethæ patefecif-  
se, vt occasionem haberet, B. Virgi-  
nis, ac Sponsi eius virtutem exercendi:  
vt verum omnino sit, ipsos etiam San-  
ctos aduersis & tristibus eas ob cau-  
sas inuadi, quas olim in cælo, cùm de  
illis fuerint edocti, felices adorabunt.  
II. Mœrorem angoremque animi in  
S. IOSEPHO oppidò magnum fuisse:  
ex vnâ enim parte tumentem coniugis  
suæ vterum videbat, ac ingens dedecus  
in se deriuandum, si vulgò innotesce-  
ret, suam hanc prolem non esse: dein<sup>o</sup>  
occasionem spectabat, quâ posset se ab  
illâ subducere. Ex alterâ verò parte  
secum innocentiam ac virtutem Spon-  
sæ suæ reputabat; neque persuadere si-  
bi potuit, eam coniugij fidem violâsse:

expendebat, quantâ prudentiâ tractandum hoc sibi negotium esset, à quâ iuberetur nihil præcipitare; etsi quadam interim religione vrgeretur, eius consuetudinē vitandi, quæ adulterij aliquâ specie notaretur: occurrebat perfectionis studium, cuius exercendæ ansam haberet, si in hoc negotio sibi silentium imperaret, tacitusque secum hanc molestiam deuoraret.

II. Eundem iterum in Virginis Sponsæ gratiam propensum, dubitâsse, num Deum hominem illa ferret; posse utique in Sponsam suam eam dignitatem cadere, vt hæc, quando tam sanctè viueret, illa Virgo esset, quæ Messiaæ Mater fore prædicebatur. *a* Vnde hæc ei suborta est cogitatio, ab illâ discedendum sibi esse, quòd præ modestiâ sui-que abiectiōe Dei Matris consortio se indignum iudicaret. *b* O S. IOSEPH! vir secundùm cor Dei! ô vt discam à te, mei depressiones, ac molestias  
à Deo

*a* Ex D. Hieronymo.

*b* Lib. 7. Reuel. S. Brigittæ, cap. 25.

à Deo immittas patienter tolerare. Propitiū te tot afflictis mentibus præbe, ijs maximè, quæ molestis scrupulis exagitantur, magnisque obscuritatibus & angoribus perplexis inuoluuntur: ita te per omnes illas gratias oro, quibus fuisti ex hoc ipso Labyrintho eductus, velis nobis tuo patrociniō tam potenti non deesse.

III. Punctum. Dum S. IOSEPHVS istis fuit curis implicatus, Angelus ei dormienti apparuit, itaque locutus est: *a IOSEPH fili David! noli timere, accipere MARIAM coniugem tuam: quod enim in eā natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Considera imprimis hoc loco I. Fidelitatem Dei, quā suis amicis & seruis succurrit, diuinis ac prodigiosis rationibus vtens, cum artes humanæ deficiunt. II. Bonitatem Dei, quā serui sui tristitiam in gaudium vertit, certò illi denuntians,

H 7

pro-

a Matth. 1.

prolem, quam coniunx eius in utero gestaret, Seruatorem mundi esse; cuius ipse curam esset habiturus, ei que nomen impositurus. III. Promptam & alacrem IOSEPHI obedientiam, qua acquieuit cum MARIA viuere, ac honorificum sibi putauit, tali se coniuge donatum, omnibus ei mentis perturbationibus, quibus laborabat, expositis, & quidquid ab Angelo Gabriele fuisset edoctus. *a* O IOSEPH semper caelo dilecte! fac nos gaudiorum tuorum participes, nobisque spiritum obedientiae & fidelitatis impetra, quo Redemptoris nostri adorandae voluntati obsequamur.

Colloquium continebit I. gratiarum actionem, quod tantam IOSEPHI & MARIAE curam habuerit. II. Desiderium verae in Deum inter aduersa fiducia. III. Sponsionem fidelitatis in omnibus, quaecunque, licet aspera, quae intelligemus illi fore grata, exantlandi. *Pater noster. Aue MARIA.*

ME.

*a Ex S. Aug. is erat Gabriel.*

MEDITATIO V.

Pro quinto die Octauæ S. IOSEPHI.

*De ijs, quæ sunt à S. IOSEPHO in  
Christi Natiuitate gesta.*

Oratio præparatoria erit ordinaria.

**P**RÆLVDIVM I. Curam Patriarchæ  
IOSEPHI ob oculos tibi pone, cui  
Rex Pharao totius Regni ac regiae do-  
mûs administrationem commisit: a  
qui dein toti Regno bene fecit, Israë-  
liticæ genti opem tulit, succurrit  
suis fratribus, nihilque, quod sui  
erat muneris, prætermisit. Hæc vera  
S. IOSEPHI idea est, cui Deus coepit cu-  
ram regiae suæ domûs, suæ nascentis  
Ecclesiæ, sui que Filij in mundum ve-  
nientis demandare. Vide vt ei nego-  
tio inuigilet, vt Seruatori adhuc par-  
uulo de domicilio prospiciat, vt eius  
ortui adsit, vt ei nomen imponat, vt  
eius

a Gen. 39.

eius circumcisionem procuret, & post  
quadraginta dies eum in templo sistat.

Præludium II. Pete à Deo gratiam,  
cum fructu primas S. IOSEPHI curas  
meditandi, quas pro Dei Filio & Ma-  
tre illius Sponsaque suâ suscepit.

I. Punctum. Post B. Virginem ab An-  
gelo salutatam, & Conceptionem Filij  
nouem iam menses effluxerant; cum  
Augustus Cæsar, qui tunc rebus ad-  
modum tranquillis Romanum impe-  
rium tenebat, publico edicto omnes  
sibi subiectos iussit suum nomen profi-  
teri, vt in publica acta in cuiusque na-  
tali solo referatur, ac vnâ censum pen-  
dere. S. IOSEPHVS igitur ei mandato  
obtemperaturus, Nazaretho Galilææ  
oppido cum prægnante coniuge abit,  
seque in Iudæam, & Davidis urbem  
Bethleem confert; vt qui & ipse è do-  
mo & familiâ David erat, vt illic cum  
cæteris è suâ cognatione in album re-  
ferretur. Vbi accidit, vt, cum diuerso-  
rium illic nullum reperiret, ob fre-  
quentem populum vndequaue con-  
fluen-

fluentem, qui curaret se in tabulas referri, coactus fuerit, ad stabulum diuertere campo ad situm, qui ad cognatam eius Salomen spectabat: quod illi permolestum fuit, cum videret, Dei Matrem, utpote iam partui vicinam, eo loci decubituram. In hac historia considera I. Cæcam & generosam S. IOSEPHI obedientiam, quod domo suâ sit egressus, ubi omnes ei commoditates ad manum erant, recentem MARIE partum fouendi; & poterat secundum aliquam humanæ prouidentia speciem hoc iter differre: nihilominus omnes eas rationes seposuit, ut exactè imperio pareret, rei totius euentu de cætero diuinæ prouidentia permisso. II. Modum, quo hoc iter cum Dei Matre aggressus est; quod hiemis tempore & viâ tam longâ ac difficili non potuit non esse molestum: interim temporis fallendi hæc pulcherrima illorum ratio fuit, mentes in Deum attollere; quod si inter se colloquerentur, omnis de Deo sermo erat. III. Acerbum

bum

ibum dolorem, quem persensit, quòd  
 Bethleemij extremū angulum pro di-  
 uersorio, post longam inquisitionem,  
 non inuenerit: nihilominus quia non  
 dubitabat, Dei Filio paupertatē cordi  
 fore, si fuisset in lucem editus, ac si-  
 mul vehementi desiderio, quantocypus  
 recens natum videndi, ardebat, ali-  
 quantū mitigatus eius dolor fuit.  
 O fortis & magnanime IOSEPHÉ! Na-  
 zarene ciuis, virtutum cęlestium flori-  
 bus ornate, qui Nazaretho discedis,  
 veritus, ne quarundam temporalium  
 commoditatū flores illic te emolliant,  
 quæ tibi, Sponsæ tuæ, ac nouo Messia  
 tamdiu expectato inseruire possint!  
 quæso te per eximias virtutes tuas, vt  
 verū mihi meipsum edomandi spiritū  
 impetres; ne posthac tantopere mea  
 commoda consecter, omnibusque car-  
 nis meæ blanditijs nuntium remittam.

II. Punctum. Eadem nocte, immi-  
 nente B. Virginis puerperio, ac diuino  
 partu, mediâ nocte illa Dei Filium eni-  
 xa est: tum Infans fuit in præsepium  
 eius



eius stabuli, in quod successerant, re-  
positus; quem mox post illius ortum  
MARIA & IOSEPHVS adorârunt. Eâ no-  
cte Angeli eundem è cælo venerati, &  
nuntium Pastoribus attulerunt: quo  
fuit mirè S. IOSEPHVS recreatus, quan-  
do ei cæleste carmen recitârunt, quod  
in diuino illo partu audierunt ab An-  
gelis cani. Maximâ quoque fuit con-  
solatione affectus, quando tres Reges  
tam procùl inde huc ad nouum Regem  
profectos excepit; quando fuit iussus  
eidem I E S V nomen tribuere; quando  
circa eundem diuinum Infantem fuit  
Circumcisionis minister. *b* Præcipuè  
hic considera I. Gaudium S. IOSEPHI,  
quòd ei licuerit omnibus hisce myste-  
rijs interesse. II. Eius felicitatem, quòd  
ad eadem potuerit etiam ipse aliquid  
operæ conferre. III. Sanctam & lauda-  
bilem eius celeritatem in gratijs Filio  
Dei de illius aduentu agendis, in gratu-  
lando MARIE honorè, quo fuit Mater  
Dei

*a Ad Hebræos cap. 10.*

*b Ex S. Bern. & Tostate.*

Dei effecta, in obseruandis vniuersis, quæ illi fieri necesse fuit; siue excipien- di Pastores, siue colendi Reges, siue so- latium M A T R I & Infanti addendum foret. O I O S E P H E ! prime omnium Christiane ! vt qui inter mortales ac viros omnes primus I E S V M agnouisti, & adorasti; attonitus contem- plor tuam pietatem, charitatem, vigilan- tiam in rebus omnibus, vt ritè tuo mu- nere fungaris: obsecro te per dulcedi- nem illam, quam in obeundis vniuersis hisce obsequijs degustasti, cor meum, libertatem meam, & quidquid habeo, diuino huic Infanti offer, eique me si- ste, quemadmodum ad eum Pastores & Reges adduxisti: noli, quæso, com- mittere, vt inde vacuus recedam; sed omnes mihi gratias impetra, quæ sunt ad salutem meam necessariæ, & ad hoc, vt tibi, Sponsæ tuæ, & dulcissimo Seruatori meo sim acceptus.

III. Punctum. Post quadraginta à puerperio dies, quod tempus erat puerperis præfixum, ante cuius finem  
pro-

prohibebantur templum ingredi, Iosephus cum MARIA Coniuge sua à Bethleem Ierosolymam abiit, vt Purificationis Legi satisfaceret, pari tururum, aut duobus columbarum pullis oblatis, vtque simul alteri præcepto pareret, iubenti vt omnis proles mascula primo partu edita Deo consecraretur. Hæc omnia mysteria considera, & imprimis I. Admirationem Iosephi & MARIE, cum Simeon Sanctus senex diuino Spiritu afflatus diceret, diuinum hunc Infantem fore salutem, lumen, & gloriam Gentium & Iudæorum. II. Benedictionem, quâ idem Sanctus senex vtrique fuit bene precatus. III. Sanctam illam supplicationem, quæ in eo occursum fuit habita: cum Ioseph & Simeon anteirent, magnâ hilaritate Deo accinentes, sequente Virgine Matre, quæ diuinum puelum brachijs celi ac terræ Regem strin-gebat, Anna Prophetissâ, quæ eius latus claudebat, comitata; quibus deinde ij succedebant, quos melior tunc fortuna

fortuna

fortuna ad templum ferebat. O S. IOSEPH! Pater IESV, quem totum calum adorat! qui amabilem hunc Infantem cum MARIA æterno Patri obtulisti: unde munus illi tam fuit gratum, tum ob offerentium pietatem, tum muneris oblati sanctitatem. O si meæ oblationes possent à me tantâ illi gratiâ offerri!

In Colloquio I. cum S. IOSEPHO Filium Deo Patri offeres; & quamuis es res repulsâ dignus, noli tamen animum abijcere; munus enim tale est, quod acceptum iri, certò tibi audeas polliceri. II. Tuum etiam illi cor dedica, omnemque bonæ voluntatis apparatus per manus S. IOSEPHI ei consecra, hoc maximè desiderio accensus, te, cum in eius Infantiâ seruire illi non potueris, id cupere modò in Ecclesiæ Militantis castris facere. *Pater noster.*  
*Ave MARIA.*

MEDITATIO VI.

Pro sexto die Octauæ S. IOSEPHI.

*De fugâ S. IOSEPHI in Ægyptum,  
& eius reditu, item de IESV Iero-  
solymis amisso.*

Oratio præparatoria erit ordinaria.

**P**RÆLVDIVM I. Angelum tibi pro-  
pone, qui IOSEPHVM dormientem  
iussit in Ægyptum fugere IESV & MA-  
RIA simul assumptis, quòd Herodes  
IESV Infantis vitæ insidiaretur. Hinc  
postquam euigilauit, post illud diui-  
num somnium concubiâ nocte aufu-  
git, quemadmodum fuit ab Angelo  
commonitus.

Præliudium II. Gratiam à Deo po-  
sce, huius persecutionis causas cogno-  
scendi, quæ tam præpropere S. IOSE-  
PHO & toti ipsius familiæ incubuit.

I. Punctum. Vix IOSEPH cum MA-  
RIA Nazarethum redijt, & IESVS  
paruu-

paruulus non nisi duos menses vixit; cum Deus scelestum Herodis consilium elufurus, qui eius vitæ insidias moliebatur, Angelum submisit, qui in somnis S. IOSEPHVM allocutus: *Surge, inquit, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum; & esto ibi, vsque dum dicam tibi; futurum est enim, vt Herodes querat puerum ad perdendum eum.* a Considera I. promptam S. IOSEPHI obedientiam, ac magnum desiderium, quo cupiebat Dei Filio hoc genus officij præstare, vt eius vitam seruaret. II. Curam, quam Filio & Matrè impendit toto illo itinere, quod octoginta circiter leucarum fuit, donec ad villam peruenerunt, tribus vltra Babylonem (vulgò Cairum) leucis distitam, cui Matures nomen, vbi substitit, sedem illic fixurus. b III. Laborem, quem in exterâ regione ad comparanda vitæ subsidia exhausit; vbi fabri tignarij artem aliquot annis exercuit, vt se & sanctam suam familiam aleret.

quod

a *Matth. 2.* b *Ex Christ. à Castro.*

quod magnâ suæ voluntatis cum diuina conformatione ac singulari simul gaudio faciebar, adhuc se beatum reputans, quod in tam sanctâ Societate tolerare aduersa posset. O S. IOSEPH! diuine ductor, & admirabilis domus Dei œconome! posthac in omnibus corporis animique necessitatibus ad promptissimam bonitatem tuam confugiam, cum Domini mei ac Domine meæ in te curam susceperis: audebisque seruulo beneficium negare?

II. Punctum. Herode post septem circiter annos, à S. IOSEPHI in Ægypto commoratione, defuncto, cui Archelaus in regno successit, Angelus S. IOSEPHO in somnis conspicuus eum alloquutus, *Surge, ait, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël.* Cui voci S. IOSEPHVS quamprimum obsecurus Nazarethum redijt. Considera I. Fidelitatem Dei in suis promissis, quando S. IOSEPHVM de reditu admoneri iussit, quemadmodum illi fuit

I polli-

a. *Matth. 2. 20.*

pollicitus. II. Gaudium, quod concepit ex eo, quòd videret se certum, cum IESV & MARIA se sine turbis & metu Archelai victurum, etsi esset hic suo parente crudelior: ita enim sub finem sui reditùs ei fuit ab Angelo promissum. III. Summas delicias, quibus fuit à IESV Puero adhuc octo annorum recreatus, dum ei osculum tulit, dum ei blanditus est, indiuiduus hinc inde obambulantis comes. O S. IOSEPH! mortalibus vniuersis felicior! cum foris esses, beneficijs exteros cumulasti, totamque gentem Ægypti tuâ inter eos commoratione recreasti: nunc verò redis, tuis ciuibus profuturus, quos omnes tuo reditu exhilarasti: de omnibus bene mereris, totumque mundum lætitiâ complex. Talem, quæso, te & mihi exhibe, & me miserum exhilara.

III. Punctum. Post quartum à reditu ex Ægypto annum, cum IESVM duodecim iam annos natum duceret Ierosolymam, vt Pascha celebrarent, quod singulis annis solebat, toto triduo illum.



lum S. IOSEPHVS amisit, ad cuius finem  
eum in templo reperit, medium inter  
Doctores assidentē, quibus aurem de-  
dit, & vicissim quæstiones proposuit:  
quo loco B. Virgo, quæ cum Sponso suo  
eum querebat, compellans, *Fili*, inquit,  
*quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego*  
*dolentes querebamus te.* a Posthæc Chri-  
stus cum Matre suâ & S. IOSEPHO Na-  
zarethum reuersus illic octodecim cir-  
citer annos fuit cum ipsis versatus, eis  
per omnia obsequens, & ad omnem  
vtriusque nutum paratus, Considera in  
hac totâ serie præcipuè. I. Dolorem,  
quo IOSEPHI animus ob talis Filij ia-  
cturam conficiebatur; examen, quod  
instituit, ne forsan suâ culpâ hoc acci-  
disset, dum crederet eum penes Matrē  
fore, quæ seorsim cum cæteris feminis  
incedebat; curam, qua toto eo tempo-  
re illum quæsiuit, Deum interim eni-  
xè de successu eius negotij precatus.  
II. Gaudium, quod ex eo reperto &  
quidē inter Doctores medio concepit,

I 2

vt

a Luc. 2.

vt & inde, quòd B. Virgo eundem IESV  
Patrem appellârit : *Pater tuus, & ego  
dolentes querebamus te.* a III. Reueren-  
tiam, quâ Filio Deo illis octodecim an-  
nis imperauit; consolationes, quas ab  
eius consuetudine percepit; egregiam  
institutionem, quâ & à Filio & à Matre  
excolebatur. O S. IOSEPH! omnibus  
Angelis fortunatior! quis tibi non in-  
uideret; quando vel ipsi Angeli plùs  
quàm felices essent, si tuâ sorte frue-  
rentur? sed, vt rectiùs loquar, quis te  
non amaret, post tantum amorem, quo  
tu IESVM amâsti, & IESVS te dilexit?

Colloquium erit I. ad B. Virginem,  
ei gratulando, quòd in tam sanctum  
Sponsum inciderit. II. Ad Filium Dei,  
ei gratulando, quòd talem gubernato-  
rem in S. IOSEPHO sit nactus. III. Ad  
S. IOSEPHVM, gratias illi pro vniuersis  
officijs agendo, quæ Filio Dei, suæque  
Sponsæ exhibuit, vt quos præ rebus  
cunctis amamus. *Pater noster, Aue  
MARIA.*

ME-

a *Luc. c. 2.*

MEDITATIO VII.

Pro septimo die Octavæ S. IOSEPHI.

*De virtutibus S. IOSEPHI, & præcipuè de illius humilitate, castitate, & constantiâ.*

Oratio præparatoria erit ordinaria.

PRÆLUDIVM I. Voluptuarium quendam hortum tibi repræsentata, in cuius areolis omnis generis odorati pulchrique flores visuntur; imprimis verò lilia, caryophylla, & rosæ oculos ac mentem ad se rapiunt. multumque tulipas, anemones, calthas antecedunt; etsi enim isti pulchritudine sint præditi, attamen odore destituuntur: illi verò flores utroque præstant. Anima S. IOSEPHI talis areola est, ubi omnium virtutum flores est cernere; sed humilitas, castitas, & constantia illius inter alias omnes eminent.

Prælidium II. Pete à Deo gratiam, merita & magnitudinem præcipuarum in S. IOSEPHO virtutum agnoscendi.

I. Punctum. Considera, quàm S. Iosephi humilitas fuerit magna & eximia. I. Cùm secum reputaret, Sponsam suam Spiritûs sancti operâ esse gravidam, ex eâ consideratione in profundam sui ipsius ac nihili sui cognitionem incubuit, putavitque omnia sua merita longè inferiora esse, quàm vt contemplari suis oculis, olimque intra brachia gestare Deum hominem audeat, aut cum Dei Matre agere: hinc indignum se ratus, inde recedere, ac deserere Sponsam suam cogitabat. *a*

II. Cùm Bethleemij diuersorium quaereret, quod cum gravidâ suâ coniuge pridie partûs ac puerperij sui subiret, fuissetque cunctis domicilijs exclusus; compulsus tandem est, eam in stabulum ad stabulantes tunc illic pecudes introducere, quod ille humilitate ac abiectioe sui planè maximâ fecit, suâ vilitati ac demeritis eam repulsam, quam tulit, imputans, ac penes se causam esse existimans, ob quam B. Virgo

tam

*a Ita Origenes, & S. Basilus.*

tam malè habitaret. III. Tota vita illius priuatim exacta loquitur, humilitatem illi perfamiliarè fuisse singulariter allaborabat, tot caelestia dona virtutesque celare, quibus erat ornatus, & præcipuè conabatur pretiosam virginittatis gemmam clàm habere, non passus euulgari, se Angelorum more viuere. Hinc matrimonio assensit, vt sub coniugij velo posset reclusus latere, aliorumque coniugum conditione nihilo maior censeferi. O S. IOSEPH! amabile speculum humilitatis! omnis vita mea vanis cogitationibus absumitur, semperque meipsum ceu vanitatis idolum adoro, obstinatus nemini cedere, nec mei depressionem tollerare, neque bona illa abscondere, quæ videor mihi possidere. An non fieri aliquâ ratione possit, vt aliquid eximiae illius virtutis à te factâ repercussione in me deriuetur, quæ te in oculis Dei tam magnum effecit, quàm paruus eras in tuis.

II. Punctum. Considera in eo Virginalis

nalis Castitatis præstantiam. I. Votum edidit, eam se toto vitæ tempore seruaturum: quod eius decretum Angeli, quin & Deus ipse suscepit, qui in eius nuncupatione fuit in testem voti adductus. *a* II. Votum illud nullo præiudicio exemplo nuncupauit: ipse enim & B. Virgo primi fuere, qui Deo promissere, se perpetuò virgines fore: & hoc sanctum vtriusque propositum, quod conceperant, mutuò sunt diuinitus edocti; ac priusquam sibi desponderentur, votum illud communi consensu renouârunt. Et ita fieri omnino expediebat, vt MARIA sciret, Deum illi prouidisse *adiutorium simile sibi*, e auderetque securè spondere, se illi ius in suum corpus concedere, cui æquè tueri puritatem, quàm ipsi, certum esset. III. Erat custos virginitatis Dei Matris: hanc Pater æternus illi prouinciam commisit. Deum bonum! quantâ integritate necesse fuit custodem, vel vt

rectis

*a* Ex Abulensi. *b* Ex Alberto Magno,  
*c* Gen. 2.

rectius loquar, socium tam excellentis  
virginitatis enitere; quando quidem  
illa non alio iterum custode indiguit,  
quàm eâ ipsâ, quam tuebatur! O  
quanta fuerit hæc in illo virtus! O san-  
cte IOSEPH! virgo incomparabilis  
pudoris; in gloriæ, quâ frueris, domi-  
cilio tot virginum in utroque sexu te  
miseret, qui de hac Angelicâ virtute  
periclitantur: è cælo illas clementi  
oculo dignare, easque in amore puri-  
tatis iube constantiam tenere.

III. Punctum. Expende meritum  
eius constantiæ. I. Constante fuit pa-  
ratus per omnia diuinæ se voluntati  
permittere, mirâ quadam mentis æ-  
quitate compositus: fugiendum illi  
fuit è patriâ, aduersa toleranda in Æ-  
gypto, redeundum in Nazareth, amit-  
tendus Filius, multaque alia deuoran-  
da: in quibus tamen constantiam mor-  
dicus retinuit. II. Constante ad sui  
contemptum & abiectiõnem aspirauit,  
dum fabrilem artem exercuit, nun-  
quam conatus emergere, aut ultra re-  
giæ

giæ profapia nobilitatem, illa etiam  
 priuilegia publicare, quibus fuit orna-  
 tus; vnde tamen toti se orbi venera-  
 bilem reddidisset. III. Constans fuit  
 in exercitio virtutum, semper in ijs  
 maximis incrementis progressus, præ-  
 cipuè in Dei amore: vnde cùm semper  
 perfectiorem se redderet, effecit, vt  
 quotidie quoque IESV & MARIE Filio  
 & Sponso fieret amabilior. O S. IO-  
 SEPHE! Constantiæ columna! si quis  
 mihi optionem inter omnes virtutes  
 daret, tuæ constantiæ me admoneret:  
 parùm enim virtutes omnes profunt,  
 nisi eas constantia coronet. Ah! nunc  
 volo, nunc volo, nunc nolo: quæso  
 te, impetra mihi constantiam adeò ne-  
 cessariam, & perseuerantiam Deo tam  
 acceptam obtine; aliter perij.

Colloquium erit ad S. IOSEPHVM,  
 ab eo spiritualem eleemosynam pe-  
 tendo, seque instar mendicabuli ad  
 eius pedes abijciendo: ille abundat, &  
 ego sum pauper: ille est cunctis virtu-  
 tibus instructus, & ego cunctis egeo.

Cur



Cur enim est in illo fastigio, nisi ut nos  
iuuet? cur tam diues, nisi ut in nos  
egentes sit liberalis? *Pater noster, Ave*  
MARIA.

---

MEDITATIO VIII.

Pro octauo die Octauæ S. IOSEPHI.

*De obitu S. IOSEPHI, & eius in calo  
gloriâ, unde nobis potest auxilium  
ferre.*

Oratio præparatoria erit ordinaria.

PRÆLVDIVM I. Finge, te S. IO-  
SEPHVM morientem Nazarethi in  
lecto videre, adstante IESV & MARIA.  
Potuítne hac morte quidquam esse fe-  
licius?

Præludium II. Gratiam à Deo po-  
stula, ex obitu S. IOSEPHI felicissimo  
proficiendi, atque altè in animum fe-  
licitatem Iustorum morientium de-  
mittendi.

I. Punctum. S. IOSEPHVS paulò  
ante IESV CHRISTI Baptismum mor-  
I 6 tuus

tuus est, septuaginta circiter anno-  
 rum: *a* quem Angelus de horâ obitus  
 admonuit; cumque viribus deficeret,  
 IESVS ei adstans animos illi addidit, ac  
 consolatus est; vt & B. Virgo, quæ ex  
 hac vitâ emigranti adfuit: quod vti-  
 que tam placidè tranquilleque factum  
 est, vt eius vitam decebat. *b* Post eius  
 discessum IESVS confestim os ac ocu-  
 los illi clausit, suis manibus eius vul-  
 tum ad decentem speciem compo-  
 nens. *c* Considera I. Gaudiû S. Patriar-  
 chæ, cùm vidit, se curriculi sui metam  
 attingisse, postquam multùm pro suâ sa-  
 lute desudauit, IESVMQUE & MARIAM  
 sanctè omnibus obsequijs demeruit.  
 II. Officia & sedulam vtriusque ope-  
 ram, quam ei tempore morbi, ac postea  
 in procurandâ sepulturâ præstiterunt,  
 quæ fuit in valle Iosaphat inter mon-  
 tes Sion & oliuarum, eodem loco, quo  
 post aliquot annos B. Virgo Sponsa il-  
 lius tumulata fuit. *d* III. Animæ illius  
 ad

*a* Ex S. Bern. & Cedreno. *b* Ex Petro Mor.  
*c* Ex fragm. Hist. orient. *d* Ex D. Hieron.

ad limbum descensum; vbi commo-  
rantes felici certoque nuntio de ad-  
uentu Messiae, & proximâ generis hu-  
mani redemptione recreauit, singula,  
quæ sciebat, in eam rem commemo-  
rans. O S. IOSEPH! à IESV & MARIA  
dilecte! dignus quidem eras, qui nun-  
quam morti succumberes; sed quo-  
niam *unum* illud *necessarium* a etiam te  
manebat, poterâsne nobiliori morte,  
quàm inter IESV brachia, & in conspe-  
ctu Reginae Angelorum, defungi? Præ  
hac felicitate ac munere nollem totâ  
aeternitate in terris viuere, malleque  
quotidie centies ac millies mori.

II. Punctum. S. IOSEPHVS cum ani-  
mâ & corpore in cælo est. Vt enim  
Gerson ait, quando quidem multi cum  
Seruatore nostro sunt à mortuis resu-  
scitati, credibile est, S. IOSEPHVM ex il-  
lis fuisse. Hoc cum S. Bernardinus Pa-  
tauinus die quadam pro concione di-  
ceret, suprâ caput eius crux auro mirè  
effulgens, ceu cæli eius orationem ad

I 7

popu-

a Luc. 10.

populum approbantis signum, visa est. *a* Quin quod amplius est, admodum verisimile est, eum sanctiorem esse, gloriaque Sanctos omnes antecedentem, proximum post SS. Virginem Sponsam suam locum obtinere. *b* Considera, hunc locum & honorem esse illi iure debitum. I. Quia præ cæteris omnibus maiorem in Incarnationis mysterio partem habet; ita quidem, ut quemadmodum in terris, in illâ SS. domo, ubi IESVS & MARIA degebant, tertia persona fuit, eodem ordine in calo collocaretur. II. In terris Patris Seruatoris munus sustinuit, cui par nullum fuit; an non æquum est, ut in calo illis omnibus præferatur, qui inferiora munera obierunt? III. Continua triginta annorum seruitia Deo Homini exhibita ante aliorum omnium actiones commerita sunt, maiori remuneratione gloriaque affici. O S. IOSEPH!

Prin.

*a* Ex Bern. de Busto p. 4. de Sponso B. V.

*b* Ex Gers. Moral. Suarez, tom. 3. in 3. p. dist. 8. sect. 2.

Princeps in domo Dei! dubium mihi non est, quin IESVS & MARIA omne genus honoris in cælo tibi exhibeant; neque quidquam est, quod te ab illorum consortio ac tertio post illos gradu auellat; omnes enim laureolas & ferta honoris excellenti quadam ratione possides: Virgo totâ vitâ fuisti: Doctorem sæpe egisti, eo munere interim, cum versareris in Ægypto, præcipuè defunctus: Martyr eras, ad seruandam Filij Dei vitam, cui tot insidiæ struebantur, milies mori paratus. Et si omnes hi tituli à te abessent, certè Pater Seruatoris & MARIÆ Sponsus es: quod satis est, ad sedem omnibus cæteris altiorrem pro meritorum tuorum magnitudine constituendam.

III. Punctum. S. IOSEPHVS in cælo potens, fidelis & amans suorum clientum, eorumque, qui ad eius opem confugiunt, patronus est. Considera I. eius potentiam in obtinendo precum, quæ ad ipsum fiunt, successu insignem: Sancti

Sancti & Angeli I E S V M vt serui precantur, infimis precibus ei supplices; cùm S. IOSEPHVS vt Pater non sine quadam auctoritate postulet, ac Filius eius postulatis obtemperet, velut æquè nunc in cælis ei, quàm olim in terris morem gerat. II. Eius fidelitatem in amatoribus suis fouendis: exemplo S. Teresia esto, quæ plerumque eum Patrem suum vocitabat, palamque asserbat, nunquam eum suis precibus atque necessitatibus defuisse. Plures alij hoc ipsum dicunt. III. Eius in omnes maximam charitatem, vt verissimum sit, eum cuicunque in quouis seu corporis, seu animi negotio adesse. O sancte IOSEPH! verus amator fratrum tuorum! tam probè tuâ potentiâ utere, vt possimus ex huius vitæ miseris eripi, ac ad cælum euecti, fructum fidelissimi amoris tui percipere, vbi æternis laudibus suauissimæ tutelæ tuæ dulcedinem extollamus, in æternum & amabile carmen illud effusi: *Vivat IESVS, MARIA, IOSEPH!*

In

In Colloquio I. Gratias ages SS. Tri-  
nitati, ob gratiam gloriamque tam co-  
piosam, quâ S. IOSEPHVM affecit.  
II. Precaberis Dei Matrem, vt illa te  
S. IOSEPHO commendet. III. Profite-  
beris, te S. IOSEPHO deuotum fore;  
omniaque in eius obsequium concepta  
studia, quæ vnquam circa illius hono-  
rem concepisti, renouabis. *Pater no-  
ster, Aue MARIA.*

## CAPVT IX.

*Varia pietatis exercitia, quibus coli S. IO-  
SEPHVS pro varia temporum &  
affectuum ratione potest.*

**S**UPRA iam diximus, omnibus pie-  
tatis exercitijs, honore ac reueren-  
tiâ, quibus solemus alios Diuos af-  
ficere, debere à nobis S. IOSEPHVM co-  
li. Quisquis enim illum amârit, nun-  
quam suo in illum studio satisfaciet;  
eiusque merita omnia nostra eius co-  
lendi inuenta longè excedunt. Si te iu-  
berem eius imaginem tecum ferre, aut  
saltem